



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

VIII. De Communione in genere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**

in quo iniuste famam lædunt, & alia damna committunt, ac per consequens ad restitutionem tenentur. Secundò idem dico de ijs, qui inter disputandum, & concionandum, nonnulla ex iniuria quadam, & inconsiderationem dicunt: quos omnes, certum est, non ex animo velle Ecclesiæ iudicio contrauenire. Vnde eos monere prius debent; an id verè, & ex animo sentiant. Tertio idem dicendum de simplicibus, qui simplicitate quadam, errorem aliquem dicere solent. Hi enim cum charitate sunt prius instruendi, potius quam procedendi, cum constet eos paratos ab Ecclesia corrigi.

Hæreticum, qui respuit, non esse denunciandum, docet Sot. de ratione teg. num. 2. quæst. 4. Corduba non idem omnino sentire videtur, l. 1. cap. 43. Hæreticum admonitione corrigendum denunciandum non esse, D. Thom. auctor est, 2. 2. quæstion. 33. articulo septimo. Denuntiandam hæresim ita occultam, vt probari nequeat, negant Menochius de Arbitr. iud. c. 355. Decianus p. 1. tit. crim. lib. 5. c. 39. num. 4. Villadiego tit. de hæreticis, quæst. 10. affirmant nonnulli alij; quos recensui in Notis ad Toleti instructionem lib. 5. cap. 57. ubi de hac re.

---

C A P V T V I I I .

D E C O M M V N I O N E ,

De Communionem in genere.

1. Communicandus non reconcilietur ad altare.
2. Communicantes an admoueant manum ori post sumptam Euch.

3. C. H.

3. Curatus instruat suos de modo communicandi.
4. Si particula ceciderit.
5. Modus communicandi.
6. Modus conseruandi particulam pyxide.
7. Quanta debeat esse particula.
8. Quibus sit neganda communio.
9. Hora communicandi.
10. An Cur. teneatur dare communionem toties quoties petitur.
11. Quis sit communicandus, vel non. (nicandi.
12. Amens semifatuus, demoniacus, an sint cōmu-
13. Puer quomodo debet communicari.
14. Puer etiam si dubitatur de usu rationis, an possit communicari.
15. De frequentia communicandi se sapius.
16. Communicandum singulo octauo die.
17. Vili nec neganda est communio.
18. An Cur. possit bis in die se communicare. (cula.
19. Quid si veniant cōmunicandi, & non sint parti-
20. An ob aliquam causam possit Cur. consecrare absque celebratione.
21. An communicandum ad tollendum scand.
22. An excusetur Cur. si communicabit ob timorē.
23. An cōmunicandus accedens cum vanitatibus.
24. Ignotus an admittatur ad communicandum.
25. Communicans, an lauet digitos.
26. De communionem infirmorum.
27. Qua hora sit communicandus infirmus.
28. An in eadem infirmitate sit sapius communi-
29. An infirmus semper possit communicari etiam non ieiunus.
30. Curatus an possit seipsum communicare.

L

31. Cu-

31. Curatus sanus an possit se ipsum communicare  
item & laicus.
32. An Cur. non ieiunus pro communicando infir-  
mo possit celebrare.
33. Modus communicandi infirmum.
34. Quid de eo, qui statim post sumptam commu-  
nionem moritur.
35. Qua hora deficientibus particulis pro infirmo  
possit Sac. consecrare.
36. Ratio extremarum horarum consecrandi.
37. Qua hora sol oriatur.
38. Pro quibus infirmitatibus anticip. seu postpositio  
sit licita.
39. Quibus infirmit. commu. neganda.
40. Quid agat Cur. ob aliquam irreuer.
41. An freneticus non confessus sit communicandus.
42. Denunciations quot, & quales.
43. De dubio an sit freneticus.
44. Quid agere debeat cum freneticis.
45. An indecentia, & immunditia infirmi impedi-  
at communionem.
46. Quid agendum in magna incommoditate.
47. An peste infecti sint comunicandi, & quomodo.
48. An communicandum instrumento aliquo.
49. Rabido an communicandus.
50. Peste infectus an sit comunicandus sub mortali.
51. Quid de infectis cancro, lepra, ulcere foetenti.
52. Quibus neganda communio in morte.
53. De communicando usurario publico.
54. An omnis infirmus communicandus.
55. Quomodo Cur. non ieiunus sumat reliquias.
56. Vbi reponenda sint reliquia Sac.
57. An possit ferre communionem Curat. equo, vel  
pedester.

58. An Cur. possit facere ferre communionem pro medico tempore per laicum.

59. Quid de urato inter portandum communionem aliquid mali cadat.

60. An laicus stante quavis necessitate possit communicare infirmum.

61. An Diaconus possit communicare infirmum.

1. **C**VRATVS communicandum non reconciliet ad altare, quia sub prætextu brevis reconciliationis, potest se præsentare pœnitens excommunicatus, vel irretitus magnis peccatis, à quibus fortè nequit absolui, vel qui indigeat magna discussione, vel qui debeat repetere multas, & magnas confessiones, à quibus Curatus aut vix, aut malè se explicabit. Et quid tunc agendum cum nequit absolui, & si non communicet generetur scandalum, vel saltem admiratio, vide c. 7. n. 43.

2. Non patiatur statim à communionem, nec mares, nec fœminas admouere manum, vel sudariolum ori, ne forte extrahant communionem ad superstitiones, aut Incantationes, maxime si in loco sint strictæ, vel superstitiones regnent. Ideò de hoc prius admoneat populum. Et si aliquos in hoc peccantes viderit, bellè, & appositè redactos in parte, quasi secretum aliquod communicaturus, videat quare manum ori admouerint. Publicè tamen nunquam hoc agat, ne infamet. Sed & vt sui decenti habitu, & gestu, & situ corporis communicent, eos omnia exactò doceat. Benè eueniet, si cum primò communicantibus hoc egerit, maxime pueris.

4. Si particula ceciderit in terram, locus radatur.

quantum satis est. Intellige quanta est superficies terræ tactæ, & rasum deiciatur in Sacrarium. Si ceciderit in tabula, eodem modo fiat: si in panno profano, lauetur ter, & ablutio repetatur in Sacrarium: aliqui dicunt, locus scindatur, & comburatur, at hoc fit si ceciderit de sanguine: Si ceciderit in panno sacro, puta super manicas camisi, sufficet lauetur, & fiat ut supra absque scissione, rubr. Miss. de defectibus in ministerio occurrentibus. Si laicus præueniens Sacerdotem, particulam sustulerit è terra, credo lauare debere manus, ablutione dimissa in Sacrarium propter eandem rationem. Sacerdos tamen quantum potest prohibeat ab illo eam tangere. 5. Communio non benè datur cum sola Pyxide, quia semper fragmenta cadunt, quæ si non excipiatur à patena retēta inter indicem, & medium digitum sinistrae manus, cadunt insensibiliter in terram, etiam si particulas diligenter minutissimis fragmentis purgaueris antè consecrationem. Applica patenam, & experientia veritatem docebit. Sedem in magnis communionibus.

Nec tutum est custodiam esse multum repletam, propter periculum, ne particulae, in eis tractandis, cadant. Item nec tutum communicare particulis positris super patenam, quia potest fieri, ut eas tantum appropinques communicando ut ille sola respiratione possit eas è patena deicere. Nec bonum est, dum communicas particulas digitis tenere in maiori parte illius, quia cum communicaueris necesse erit tangere os communicandi, & per consequens vix euades, quia

quin digitos madefacias, ex quo postea magnū incommodum senties, alijs particulis hærentibus digitis, & ægrè se auellentibus. Igitur particulas tantum digitis acciperem, quantum sufficeret ad eas tractandas, ne caderent. Et sic tota Sacramenti administratio euadet munda. Caue inter communicandum, ne porrecta particula, digitos, quasi sic mandaturus, tergas dentibus, vel ori communicati, quia scrupulus est, & indecentia, & in fœminis habet nescio quid mali.

6. QVÆST. *Quomodo particula sint in Pyxide conseruanda?*

RESP. Conforma te iustæ consuetudini loci. Vidi conseruari in parte corporalis posita in pyxide, & vidi in nuda pyxide, & hoc communius, & tutius, quia cum particula renouantur imminet magnum periculum in purgando dicto corporali, ne fragmenta longè extra altare resiliant, propter qualitatem corporalis, quam ab amictu contrahit.

7. QVÆST. *Quanta debeat esse particula?*

RESP. Decens, non nimis parua, aut magna, iuxta aliorum consuetudinem, vel secundum Episcopi præscriptum.

DE COMMVNIONE SANORVM.

8. QVÆST. *Quibus sit communicatio deneganda?*  
Vide cap. 5. nu. 13.

QVÆST. *An Curatus omni hora diei possit sanum communicare.*

RESP. Posse, nullo enim iure, aut consuetudine, ait Azor. prohibetur communicari ieiunum omni hora.

Congruentior tamen est hora, qua celebratur, quæ est vsque ad meridiem, Angel. Euch. 3. q. 5. Silu. Euchar. 3. q. 15. nu. 5. Azor. Instit. p. p. l. 10. c. 25. q. 8. Candelab. de Euch. n. 49. Obserua constitutiones tui Episcopi, & consuetudinem probatam loci.

9. An Curatus teneatur dare communionem toties quoties petitur? *Vide c. 5. n. 7.*

10. *QVÆST. Quis sit communicandus, vel non?*

RESP. Amens à natiuitate non communicatur. Omnes.

11. Amens habens lucida interualla communicatur, si dum esset sanæ mentis eam petijt, & non sit periculum irreuerentiæ. Communiter sufficiet, dare in Paschate, citra dictum periculum.

Semifatuus, id est, qui habet debilem vsum rationis, citra irreuerentiam, communicetur in Paschate, & non frequentius.

Dæmoniacus citra irreuerentiam communicetur.

12. Puer habens vsum rationis, sed maiorem, quam requirat, communicetur. Quando adijt dictus vsus rationis *c. v. cap. 7. nu. 36.* Puerum tamen qui nunquam communicauit, non urgeat Curatus, vt statim communicet, sed si idoneum iudicauerit, iubeat in sequenti Pascha communicare. Sil. Euch. 3. q. 5. Sot. d. 2. q. 1. a. 9.

In dubio tamen de sufficienti discretionem in morte expedit communicare, vt etiam in Iubileo. Quod etiam placet. Nauarr. cap. 21. num. 57. Licet etiam concedat posse differre communionem vsque ad tempus, in quo, si benè valeret communicaret.

\* Suarez



\* Suarez verò tom. 3. quest. 80. disput. 70. sect. 1. in fine vult cum puer est capax confessionis sub præcepto, hunc puerum Curatum debere communicare: non verò esse consilium, vt vult Nau.

13. Et si puer absque examine Curati præsen-  
ter se linteo altaris? Ego non communicarem:  
quia, cum Curatus sit administrator Sacramenti  
tenetur benè administrare, & hoc præstare non  
potest, nisi suscipiètem cognoscat per examen.  
Verum est tamen, quòd si puer dixerit se mitti à  
confessario idoneo, poterit Curatus credere di-  
gnè admissum. Remedium erit.

14. Curatus quando paræcios suos describit  
dixerit pueris, qui de proximo videntur com-  
municandi, non accedant ad altare, antequam  
de illorum idoneitate viderit. Prima vice, qua  
admittit puerum, doceat eum diligenter de tota  
re vt bene affuescat bonæ communioni, & in hoc  
fit valdè diligens, quia magnam rem præstat.

De adultis verò nullo impedimento detentis  
dic, quod Curatus à nimia communionem poterit  
arcere eum, qui diebus singulis, vel ternis eam  
petit, nisi constet de illius bonitate.

In dubio tamen, melius est dare quam negare.  
15. \* Porrò quoad istam frequentiam multi multa  
dicunt; In hoc omnes conueniunt rem totam  
relictam esse prudentiæ admittentis. Vt autem  
innoxie accipiatur, sufficit conscientia mortali  
purgata. Vt verò cum vbere fructu; magna  
præparatio per orationem, & exercitium vir-  
tutum.

16. Communiter singulo octauo die decenter,  
L. 4. & suffi-

& sufficienter sumitur. Ita prudentes, & experti in hac materia, & communis vsus Ecclesiæ declarat, propter venialia verò, vel quia homo non sentiat feruorem deuotionis, & charitatis; non est omittenda; quia non est exiguus fructus, quod homini in magnis peccatis impediatur confesum & in minimis sensum minuat. Et Suarez tom. 3. quæst. 80. disp. 69. sect. quarta, conclus. 3. Ideo Curatus sanctè ager, si in sua cura sensum introduxerit frequentiam Communionis. Videbitur enim quodammodo habere populum iuxta faciem Ecclesiarum melius sensientiam, vt per totum orbem terrarum in multis locis est videre. Vt autem hoc agat honesto aliquo colore propter ista irridentes, introducat in sua cura aliquam societatem, puta Rosarij, vel aliam; & occasione lucrandarum indulgentiarum; (quæ cum confessione, & communionem vt plurimum consequentur) hortetur ad illas consequendas, & verè in magnum decus Curati redundat; videre suum Curatum in festis occuparum administratione pœnitentiæ, & communionis.

Eodem die verò nunquam eundem bis communicet.

17. Omni alio adulto, quantumuis vile exercitium tractanti, vt carnifici, treremium castigatori, & similibus, dummodo sint extra statum peccati non est neganda communicatio. Candelab. de commun. num. 60.

18. QVÆST. An Curatus, qui manè sacrificauit, possit postea, quando aliter non saluatur honor Eucharistia, puta quia hereticus, vel alius infidelis

*Is urbem inuadit, & timet conculcandam hostiam, an possit eadem die, eam sumere, & ita bis communicare?*

RESP. Et credo posse, etiamsi non sit ieiunus, quia præceptum de honorando Deo est iuris diuini, & de non communicando bis eadem die, est iuris humani, & ita præualet dignius, quod est diuinum: deducitur etiam ex rubr. Missal. de defectu intentionis in casu simili: Azor, institut. p. p. libr. 10. cap. 33. quest. 7.

19. QVÆST. *Si ueriat quis communicandus siue sanus, siue infirmus, & non adsit particula, quid agat Curatus?*

RESP. Consecret si est ieiunus celebrando, & communicet, si hoc illi eueniat dum celebrat & non est in tempore in quo possit particulam cōsecrare, det partē hostiæ consecratæ, Silu. Euch. 2. qu. 10. not. 7. Dum tamen possit consecrare particulam, nunquam det partem hostiæ, sed particulam consecret, quia ita vsus vniuersalis Ecclesiæ.

20. QVÆST. *An Curatus possit consecrare stante aliqua necessitate, ut communicandi infirmum, vel alia simili, absque quod celebret?*

RESP. In hoc duas esse sententias; Prima affirmat, & est Maior. citati à Candelab. de Sacram, Euch. n. 55. & Sor. dist. 12. q. 1. à 4. casu primo. Alia negat. & est canonis c. Comperimus de consecrat. dist. 5. Nauar. c. 1. n. 53. Candelab. ibi, & est communis, & vera.

21. QVÆST. *An Curatus teneatur communicare eum, qui, si non communicat, credibile est scandalū euenturum, vel dandam admirationem? Vide c. 7. n. 43.*

L. 5.

22. QVÆST.

22. QVÆST. An Curatus excusetur à communicando illo, qui de iure non potest communicari, puta publicus excommunicatus, aut peccator, si minetur atrociam, ni communique?

RESP. Non excusari, sed potius debere millier mori. Vide c. 7. n. 41.

23. QVÆST. An Curatus communique accedentem cum vanitatibus, puta cum cincinnis ciuffis, & similibus?

RESP. Si secretò potest hortari ad eos deponendos hortetur, si non potest communique, quia ista e suo genere non sunt plusquam venialis culpæ signa, & communicatio negatur soli peccatori publico? sed si signa sint signa mortali culpæ clara, & per nullam tergiversationem possibilis cessari, est neganda communicatio. Communis. Vide c. 7. num. 3.

24. QVÆST. An Curatus admittat ignotum ad communionem?

RESP. Curatum non posse alienum communicare, nec in Paschate, nec extra, nisi sub spe legitimæ rati habitationis, de qua dictum est cap. 7. num. 10. Tol. Inst. lib. 2. c. 28. n. 2. Caiet. Communions minister. Alias agens mortaliter peccat. Suarez tomo 3. disputat. 72. Sect. 1. Poterit tamen communicare in casibus, in quibus etiam potest alienum absoluerè, per dicta c. 7. n. 5. & sequ. In Paschate verò omnino nō communique eos, qui possunt adire viciniam suam parochiam; quia omnes tunc tenentur in ea communionem recipere. Communis. Si tamen curatus nesciens esse suum, sed credens suum communique, non peccat: sicuti non peccaret, si communique sub rati-

ratihabitione. Nauarr. cap. 21. num. 52. quem tamen non admitterem in Paschate, nisi valdè urgentem, & probabilem. Sciens verò esse non suum, & communicans absque ratihabitione valida, credo mortaliter peccare, quia in re seria, & graui delinquit. Credo tamen quod posset excusari à mortali, si rationabiliter crederet, illum tunc ex deuotione communicare, deinde in propria parochia satisfacturum præcepto Ecclesie infra tempus legitimum iuxta dicta cap. 7. num. 8. & sequ.

25. QVÆST. An Curatus post administrationem communionis teneatur lauare digitos, ita ut ea lotio seruiat pro ablutione communicati?

RESP. Ita esse vniuersalem consuetudinem, à qua non est facile recedendum. Si tamen communicet aliquis, qui nolit ablutionem, sufficit digitos mundare abstergendo eos purificatorio, sicut etiam sufficiet, dum Curatus aliqua rationabili causa tetigerit corpus Christi, quia illa ablutio non est necessaria. Si tamen vinum, vel aqua in aqua fuerint digiti abluti, supererunt in communionem, deijcienda sunt in Sacrarium. Et quia sæpe abstemij communicant, bonum erit præbere vinum, & aquam, vt pro libito vtantur. Sed & si Curatus pro maiori mundicia habuerit vas pro purificatione digitorum, quem nemini porrigat, & aliud vas pro communicatis, optimè aget, maximè si communicandi sunt nobiliores, vel ciuiliores. Et si communicauerit personam, quæ alijs sit horrori, quales sunt carnifex, & habens lepram, vel cancrum, vas quo isti sunt vsi, non porrigat alijs, ne turbentur, sed frangat.

vel pro usu eorundem alia vice reponat. Præterea in ablutione digitorum bene aduertat antequam abluat, ne fragmenta parua hæreant, quia si in ea absolute deiecerit, magnum sacrilegium committet, vel dum deiciuntur in Sacramentum, si superfuerint, vel dum assumentur, à iam communicato, quia esset eundem bis communicare.

---

DE COMMUNIONE INFIRMORVM.

26. **Q**VAEST. *An Curatus communicabit infirmum, per modum Viatici omni hora.*

RESP. Communicabit etiam non ieiunum Omnes. Adde sit hora, siue diei, siue noctis, dummodo non communicauerit per octidies antè, tunc enim communio illa sufficeret. *Sot. dist. 12. qu. 1. ar. 11. col. & media ante finem.* Si tamen de nouo voluerit communicare non erit peccatum. Et tunc Curatus rectè communicabit, si infirmitas fuerit periculosa, in qua non est dandus locus scrupuli. Peritus autem, siue medicus iudicabit, & in absentia Medici Curatus.

27. *Practica.* Si medicus iudicauerit morbum periculosum, vel Curatus bonis rationibus in absentia medici, & infirmus non credatur futurus viuus mane sequenti, vel si fuerit viuus, non futurus sanæ mentis, sed freneticus, communicet etiam non ieiunum, & etiam de nocte; nam nec scrupulis credendum, nec præcipitandum. Fuge tamen nouitates pro posse; quomodo vero de nocte sit ferenda communio *vide cap. 5. num. 39.*

28. QVÆST.

28. QVAEST. *An in eadem infirmitate possit sa-  
pius communicatio dari?*

RESP. Posse semel per modum viatici, alia vi-  
ce communionem ordinariam, non tamen hoc faci-  
endum quotidie. Sed si saltem transierint ab ulti-  
ma communionem sex dies *Tab. communicare nu.  
54.* Spirituales verò, & Ecclesiastici, quare non  
poterunt etiam saepius, cum si sani essent, etiam  
saepius communicarent?

29. QVAEST. *An quando pluries in eadem infir-  
mitate communicatio porrigitur, possit dari non ieiuno?*

RESP. Aliquos distinguere, inter communio-  
nem per modum viatici, & communionem or-  
dinariam. Primam videntur velle dandam semel  
solum infirmo etiam non ieiuno. Aliam eidem  
infirmo non dandam nisi ieiuno, ita potest dedu-  
ci: licet agrè, ex *Armil. communicatio. §. 18. in fine.*  
Alij indistinctè dicunt, utramque posse dari in-  
firmo etiam non ieiuno, quod tamen intelligen-  
dum crediderim, cum commodè non possit ei-  
dem ieiuno dari: ita tenet *Armil. ibid. Tab. com-  
municare, §. 48. Tol. Inst. libr. 6. cap. 15. num. 4.*

30. QVAEST. *An Curatus in loco ubi est solus,  
possit in articulo mortis in peste, & alia necessitate  
seipsum communicare?*

RESP. Posse, etiam si non sit ieiunus, etiam si  
sit excommunicatus, sed debet uti stola, & su-  
perpelliceo, quia ita necessarium de præcepto  
Ecclesiæ, in tractante Eucharistiam, ut iste, & e-  
tiam ad hoc poterit celebrare. *Caietan. commu-  
nionis minister.*

31. \* QVAEST. *An Curatus sanus possit etiam  
seipsum communicare?*

L 7

RESP.

RESP. Suarez tom. 3. qu. 82. sect. 3. disp. 72. posse citra scandalum, tamen quia non est res vitata de facili fieri non debet. Sed quod dixerat Suar. de sacerdote, concedit etiam laico in necessitate extrema mortis, & in absentia Sacerdotis, & affert exemplum Reginae Scotiae, quae se ita communicavit, dum statim esset occidenda: quod tamen factum ait forsitan de summi Pontificis licentia processisse.

32. QVÆST. *An Curatus pro communicando infirmo possit non ieiunus celebrare?*

RESP. Non posse. Silu. Euch. 3. quæst. 6. Soc. di. 12. quæst. 1. art. 8. 7. arg. Azor. 1. p. lib. 10. cap. 30. q. 11. 2. ult. quæres.

33. QVÆST. *Quis modus communicandi infirmis?*

RESP. Et dico videndum Rituale. Obserua consuetudinem probatam loci. In locis montuosis, quando communio est ferenda valde longè, & per loca cœnosa, in quibusdam locis deferatur in vase decenti in bursa serica honesta collo appensa, ne si contingat Sacerdotem cadere particulae effundantur in terram.

Obserua in communicando infirmo, si fragmenta hæreant digitis, non reponas in pyxide, sed eas porrige infirmo; antè abluionem tamen: ratio est, quia sæpè communicat infirmus laborans febre maligna, aut pestilentia, seu alio morbo contagioso, & in dictis fragmentis possunt contrahi qualitates inficientes, quæ si assumantur à sano, poterunt ei nocere. Abluionem totam sumat infirmus, si supersit aliquid deijciatur in Sacrarium, vel in ignem, ne asseruatum superstitioni deseruiat. Poterit autem abluio

sumi



sumi in vase profano, vt communiter fit, & in vase per Ecclesiam deputato. Obserua consuetudinem legitimam loci.

34. QVÆST. Quid aget Curatus, si infirmus statim à communionemoriatur, & vix particulam deglutierit?

RESP. Si deglutijt, nihil agendum, etiam si infirmus statim moriatur, & Sot. *distinct. 12. quæst. 1. art. undecimo column. & media antè finem*, refert de quodam, qui statim à communionemortuus est, & nihil aliud de communionememinit. At si communio post mortem appareret in ore mortui, debet extrahi, & reponi in tabernaculo, quoad species Sacramentales consumentur. Si nescitur an deglutierit, & non appareat, credendum est deglutuisse.

Porro antè communionem Curatus confideret, an infirmus saltem sit supervicturus ad horam, quod est facile factu, & quod medicus arbitrabitur, vel poterit iudicari ex signis viuacitatis infirmi, & non communicet, nisi saltem speretur species Sacramentales digerendas fore: quod tamen non intelligas de necessitate Sacramenti, cum sufficiat eas deglutijse: nam tunc confertur gratia, sed intelligas de decentia, & honore tanti Sacramenti, à simili concordat de Graff. *p. p. lib. 1. c. 12. n. 83.* propter eandem rationem. Nauarr. *to. 2. concl. tit. de poen. & remiss. conf. 16. q. 2. n. 12.* idem habet. Sed & in dubio de ista superuiuentia, credo melius communicare: ratio est, quia nihil repugnat, vt ex dictis apparet.

35. QVÆST. Si cõmunicandus sit infirmus, & particula desint, qua hora poterunt consecrari, & per consequens celebrari Missa?

RESP.

RESP. Duplicem esse terminum pro celebratione. Primum à parte ante, & secundum, à parte post, & vtrumque includi ab aurora, quod est, quando apparent signa orientis solis : vsque ad meridiem inclusiuè. S. Tho. 3. p. q. 83. art. 2. ad quartum. Angel. Missa quæst. 41. Silu. Missa p. qu. 6. Rosel. Missa num. 2. Sot. dist. 13. quæst. 2. art. 2. Nauar. ca. 25. n. 85. Azor. 1. p. lib. 10. cap. 25. quæst. 1. Tol. Instit. lib. 2. cap. 1. num. 8. Pro meridie verò intellige horam, in qua ritè pulsatur Aue Maria, sic interpretante vniuersali consuetudine, imò & post meridiem posse celebrari per totum tempus vsque ad nonam, quæ secundum horologia erit vsque ad tertiam horam ante noctē, affirmat Nauar. cap. 25. nu. 85. tract. de orat. 21. num. 31. & Miscell. de orat. 76. Sed confutatur à Francolino citato ab Azor. cap. d. qu. 2. & Tol. loco dicto, eo quòd contra Nauar. sit vsus vniuersalis Ecclesiæ, qui habet vim legis. Igitur iuxta communem, à parte ante, sine dicta causa, omnes poterunt celebrare, ab aurora, quod est iuxta Suarez tom. 3. disp. 80. sect. 4. per horam, & mediam ante solis ortum, id est antequam appareat substantia solis: Imò Azor. ibi. qu. 6. addit, posse etiam anteuerti dictum tempus per tantam partem, quæ sit minor tertia parte horæ: At Suarez ibi concedit posse anteuerti tantū, vt Missa finiatur in principio auroræ. Pro communicando verò infirmo quantum poterit præueniri? Azor. capit dicto qu. 7. concedit quidem posse, non multum ante dictum tempus, de consensu superioris si adsit, sine proprio consilio. Sed non declarat per quantum tempus. Salua superiorum censura, videtur dicen-

dicendum, id licere per horam: quia, & multi habent priuilegium à Papa celebrandi tali tempore, maximè si mors regnat, & deuotio infirmi, vel saltem, quòd videtur tutius, licere per mediam horam, eo quod tale tempus sit modicum.

An etiam post meridiem pro eadem causa possit post horam celebrari? credo, propter eandem rationem, salua semper licentia Superioris, si possit obtineri, qui in hoc citra dubium poterit declarare, & dispensare, si dispensatione, sit opus.

36. \* Igitur pro communicando infirmo, vt de dictis constat, poterit dici Missa per tres horas excepto medio quadrante ante solis ortum iuxta aliquorum opinionem.

37. *Si autem pergas querere qua hora Sol oriatur?*

RESP. Ex tabulis Astronomicis quæ inter se sint variæ non posse aliquid certi statui. Itaque communiore peritorum sententiæ standum.

\* Tutè verò poteris sequi regulam Missalis Pij Quinti positam ad calcem singulorum mensium, in qua declaratur ortus solis, pro singulis diebus vniuscuiusque mensis.

38. *QVAEST. An anticipatio, & postpositio de quibus est dictum supra, sint faciendæ pro omnibus infirmitatibus, vel pro quibus?*

RESP. Non pro omnibus, sed pro illis, in quibus commodè æger non potest expectare horam solitam, necessitate concedente anticipationem vel postpositionem dictam.

39. *QVAEST. In quibus infirmitatibus Curatus communionem negabit?*

RESP. In omnibus impediens, vel sumptionem Sacramenti, vel eius reuerentiam, quæ e-

runt.

runt illæ, in quibus est periculum vomitus, seu expuitionis, & quod particula non possit degluti-  
turi, tales sunt Angina vulgariter dicta; Schirran-  
tia, tussis vehemens, frenesis cum furore, & simili-  
lia. At ne credas dicendo tussim alia via venire,  
puta à pulmone, & alia, particulam descendere  
ad stomachum, quasi concludere volens, nullam  
tussim posse impedire communionem; quia, &  
si assumptum sit verum, tamen experientia cla-  
rè constat, vehementiam tussis non posse cohi-  
beri, & causare vomitum.

40. At si dubium sit Curato infirmum aliquam  
irreuerentiam commissurum, ponat se in tuto,  
& non communicet, ne exponat se periculo ir-  
reuerentiæ. In tussì verò, quæ rarò aggreditur,  
& quam infirmus ad libitum potest reprimere,  
communica, quia cessat ratio periculi, & irre-  
uerentiæ; In omni tamen casu, quo infirmus im-  
pediatur communicare, inducendus est ad spi-  
ritualem communionem, vt Sacramenti sine  
hon frustretur. Ideo nota bonam practicam.  
Cum communicandus est infirmus, antequam  
afferat communionem, vide an sit sanæ mentis,  
vt dicitur numero sequenti.

Vide præterea an habeat tussim, & age vt pro-  
ximè est dictum: Idem agas si patiatur vom-  
itum. Præterea numquam communices in die,  
quo infirmus medicinam accepit, propter peri-  
culum vomitus. Vix enim ab eo tales immunes  
evadunt. Si autem infirmus communionem  
euomat, vide *Rubr. Missal. & Summas, præcipue*  
*Silu. Euch. 2. q. 9. not. 4.*

41. *QVÆST. Si freneticus ante infirmitatem*  
Chri-

*Christiane vixit, & ostendit deuotionem ad Eucharistiam, sed in infirmitate factus est freneticus, & non potuit confiteri an saltem communicandus in morte, etiamsi non confessus?*

RESP. Sot. dist. 12. q. 1. art. 9. concl. 3. affirmare, licet ostenderit dictam deuotionem, etiam multò ante, etiam ad annum, modo non sit periculum irreuerentiæ.

41. *Quid autem, infirmus erat quidem freneticus, sed per interstitia habebat etiam lucida interualla, & sæpè postulatus à Curato ad confitenda peccata, numquam potuit induci, ita ut remaneret, dubium, an dictus infirmus esset freneticus, an nollet respondere, quid agendum?*

RESP. Si infirmus erat aliæ bonæ existimationis, non potest credi nisi freneticus, cum nemo sit censendus suæ salutis immemor, & ideo si non est periculum irreuerentiæ, est communicandus: Si vero erat malæ famæ, non est communicandus, quia non est Sacramenti capax.

42. *Sed si freneticus iste non confessus, dubius autem an etiam habeat lucida interualla, maneat ut stupidus, an tunc sit communicandus?*

RESP. Si probabiliter timetur periculum irreuerentiæ, non est communicandus. Credo autem probabiliter iudicari, posse communicare, si sumit quæ porriguntur, sine expuitione vel difficultate. Porro in dubio melius est sequi partem tutiorem, ut est dictum num. 30. Contigit mihi hic casus.

43. *Communicauit infirmum petentem communionem in frenesi absque furore, & habentem lucida interualla, benè particulam accepit, deinde*

deinde ei dum porrigeretur ablutio dentibus fregit vitreum poculum, & cœpit fragmenta mandere, quid agendum erat? Si mittebas digitum in os, vt videres an particulam deglutiisset, periculum erat, ne morderet: si hoc non agebas, periculum erat expueret eam cum vitro. Ita actum. Vi apertum os, & viso particulam descendisse, interpositum est dentibus tantum lignum, quòd saluaret digitum ne morderetur, & illo immisso fragmenta sunt extracta. Ideo in frenesi, licet omnes dicant, quando cessat periculum irreuerentiæ posse communionem dari. Siluest. *communio 3. qu. 5. not. 2.* & omnes, tamen cum non possit determinari, an tale periculum esset, tutius est, nunquam communicare.

44. Quid si euenerit dictus casus, & stante adhuc particula in ore, vitrum manderetur, & periculum esset, ne vna cum particula deglutiendum foret, & infirmus inde læderetur? Ego facerem vt est dictum, extracta prius particula, deinde extracto vitro eadem eundem communicarem, at fortè esset melius non communicare propter periculum alicuius irreuerentiæ.

45. Stante verò quantavis paupertate infirmi, immunditia loci, foetore, & alia quantavis indecentia, non est neganda communio, est tamen hortandus ad decentiorem præparationem, propter Sacramenti reuerentiam.

46. *QVÆST.* Quid agendum cum communicandus sit infirmus in magna incommoditate, puta quia est tam pauper, vt non habeat mensam, cassibellum, aut aliud simile, in quo reponendum sit Sacramentum dum reliqua peraguntur; Vel si quid habet,

*habet, sit illud tam inutile, puta quia fractum vel tam debile, quod periculum sit, ut cadat Sacramentum, si in eo reponatur?*

RESP. Me nunquam in tali casu deponere Sacramentum, sed tenere eum collo appensum in sua bursa serica decenti, & interim lego legenda, & peragenda perficio. Cæterum in reponendo Sacramento, dum aguntur agenda, observa consuetudinem legitimam loci.

Sed nota, quod si possis antequam afferas Sacramentum, reconciliare infirmum, reconcilies propter dicta, *num. 1.* Si non vales aliter agere, puta quia infirmus multum ab Ecclesia distat, observa consuetudinem loci.

47. *QVAEST. An peste infecti sint communicandi, & quomodo?*

RESP. Possent communicari, quia nullibi prohibitum, & si non communicantur propter periculum ne inficiant, non credo rationabile: rationabilius est enim mori pro functione Sacramenti: Suarez *subscribit tom. 4. disp. 44. sect. 3. nu. 17.* & vult obligari.

*Cum verò dicti communicantur an danda communio manu, vel instrumento, puta instrumento argenteo, aut alio apposito?*

RESP. In peste (vt audio) tempore B. Caroli Cardinalis Boromæi vetitum fuisse ministrari instrumentis istis. Certè videtur danda manu, est enim proprium instrumentum pro administratione Sacramenti, nam & ad hoc manus consecrantur in collatione Sacerdotij.

48. Cæterum, si quis administraret patena, puta, posita particula super eam, & ita infirmo porri-

porrigat, dum propter ch ragram non valet aliter fieri, credo non peccaret, dum modo cessaret scandalum, & periculum ne particula caderet in terram, quod est facile factu. Sed & si quis vellet contendere posse etiam ministrari instrumento affabre facto, per quod caueretur deiectioni Sacramenti, & fragmentorum, quod non est impossibile, forte possent sustineri; Primò, quia & extremam vnctionem tali modo posse dari affirmat Andreas Victorellus, ut ca. 9. n. 21. Præterea, quia si potest ministrari patena, ut est dictum, sic etiam poterit ministrari tali instrumento. Si verseris, patenam esse consecratam, instrumentum verò nec benedictum; posset responderi, pyramidem, qua continuò seruatür Sacramentum, nec benedictam debere de necessitate esse, ita Azor *Inst. p. p. lib. 10. ca. 27. q. 7.* ita nec erit necesse tale instrumentum debere esse benedictum. Ego tamen consulo non recedendum à communi vñ Ecclesie, qui est ministrare immediate manu, & qui aliter ageret præter peccatum, posset etiam ab Episcopo puniri. An autem talis mortaliter peccaret, dubito, quia contraueniret graui ceremonie Ecclesie vniuersalis.

49. Rabido verò, siue per morsum canis rabidi siue per morsum alterius hominis à rabido morsu, non est danda communio, quia Aegineta, & schola medicorum docet istos nihil posse deglutire.

50. *QVÆST. An tempore pestis Curatus teneatur sub peccato communicare infectum?*

*RESP.* Secundum Maior. & alios, qui dicunt communionem in morte esse de iure diuino, tenentur



neri sub mortali, secundum Sotum verò, & alios docentes esse de iure diuino semel in vita, non teneri sub mortali. Sed quid sit peste infectus velit communicare in Paschate, ad quod tenetur ratione præcepti Ecclesiastici? *Resp.* Credo Curatum tunc non teneri, quia Ecclesia non obligat cum tanto periculo ad obseruantiam suorum præceptorum. *Omnes.* Suarez tamen *tom. 4. disp. 44. sect. 3. num. 5. & seq.* videtur velle teneri sub mortali.

§1. *QVÆST. An communicatio sit danda infirmo habenti cancrum, vel vlcus maximè foetens?*

*RESP.* Communicandum. Idem dicitur de leproso. In quibus casibus, foetor non potest excusare, vt excusat pestis secundum opinionem Soti, & aliorum: ratio est, quia foetor non inficit, & benè depellitur odoribus, vel saltem magno igne interiecto, dicimus nos, *Carboni, accensi*, & sufficit accedere ad infirmum in ipso actu communicandi, reliqua enim possunt perfici à longè.

§2. *QVÆST. An communicatio in morte negetur aliquibus, & quinam sint?*

*RESP.* Iuxta dicta *c. 7. n. 93. & seq.* quia quæ dicuntur ibi de penitentia, intelliguntur etiam de communione. Adde non negari communionem omni, qui si non est confessus, per eum non stetit, sed id fuit, vel quia Sacerdos erat surdus, & non aderat alius *Sot. distin. 12. q. 1. ar. 4. in fine casu pri.* Vel infirmus amisit loquelam, aut habuit aliquod aliud impedimentum simile nõ voluntariū. *Omnes.* Curatus tamen in omni casu, quo communionem negat, inducat ad bonam contritionem.

§3. *Vsu-*

53. Usurarium verò publicum, etiam post bonam confessionem, non communicet, nisi restitutione facta, aut data cautione, ut est dictum *capit. 5. num. 24.* Omnes alios quantumvis magnos, vel publicos peccatores, postquam confessi & absoluti fuerint, communicet: communicantur etiam interdictus, suspensus, excommunicatus, & hæreticus, cum cautione, & iuramento, ut est dictum *ca. 5. per multos numeros, & præcipuè à num. 18.*

54. *QVÆST. An communicatio sit danda omni infirmo eam petenti?*

*RESP.* Contigisse me aliquoties vocatum ab infirmo, & hunc communicasse hodie, & cras ipsum domo exiisse. Igitur facilis sit Curatus, seu & prudens, ne nimia facilitas vertatur in paruum honorem Sacramenti.

55. *QVÆST. Quid aget Curatus ruralis, si videntis ad communicandum aliquem longè à parochia positum, puta per aliqua milliaria: ibi in aliquo sacello consecret, & post communionem infirmi, & post ablutionem ab ipso celebrante acceptam, reperiat fragmenta, quæ casu remanserunt, quæ nec decenter potest conseruare, nec deferre ad propriam Ecclesiam?*

*RESP.* Vide rubric. Missal. de defectu intentionis. Potest eas sumere, etiam si non sit ieiunus licet Nau. videatur negare.

56. At quid de reliquijs repertis in altari post communionem, & post sumptam purificationem, ita ut minister non sit ieiunus?

*RESP.* Suarez *to. 3. q. 80. sect. 6. disp. 66.* posse eas sumere. Practica ex Suarez. Si sunt pars illius sacrificij

sacrificij, si possunt reponi, reponendæ: si hoc non potest fieri, siue sint parua, ut quidam à *Suares* citari volunt, siue magnæ, possunt assumi. Idem credo si sint particulae integræ quia nec paruitas, nec magnitudo accidentium adduntur ad Sacramentum.

57. Si verò sint alterius sacrificij pars, debent reponi in loco solito: nam & est facile, quia eo modo quo hætenus conseruatae sunt, poterunt etiam in posterum conseruari. Et si nescitur, an sint eiusdem, vel alterius sacrificij, credendum est esse illius, quia rationale est prius celebrantem non dimisisse eas.

58. Possunt autem dictæ reliquiae sumi toto eo tempore, quo celebrans est in altari, licet sit per horam post absolutum sacrificium, puta quia interim communicauit. Ex *Suares* ibi. Commodius est, communicare post sumptionem sanguinis ante ablutionem, quia cessat omnis disputatio de ieiunio in sacrificio; Postquam verò discessum est ab altari, non possunt sumi nisi rationabilis causa excuset, eo quòd aliter conseruari non possint, ut est dictum supra.

59. *QVÆST. An Curatus ruralis ferens communionem infirmo longè distanti, possit ire equo, an debeat ire pedes?*

*RESP.* Conformet consuetudini loci, & si nulla sit consuetudo, nullum est peccatum equo ferre, nisi equus esset indomitus, & præceptatione spiritali.

60. *QVÆST. An si Curatus sit multum fatigatus, dum longè fert communionem, possit pro modico tempore, dum quiescit facere eam ferre per laicum, vel aliū Sacerdotem?*

M

RESP.

RESP. Per Sacerdotem posse, si non habet stolam, nec superpellicem, citra scandalum esse nullum peccatum, quia necessitas illius indigentiae excusat: Per laicum verò non Remedium erit, duos hinc inde sustentare brachia Curati, qui vix fatigabitur, si Sacramentum rutilicibus bursa collo appensa, ut est dictum supra.

61. Sed si casu inter portandam communionem Curatus cadat in syncopen, aut aliud simile: Tunc etiam omnis laicus poterit Eucharistiam ferre, quia necessitas non habet legem. Nunquam tamen laicus, stante quavis necessitate, poterit infirmum communicare; bene possidet diaconus de ientia Curati, quam tamen non det, nisi pro ultimo remedio, nec quando ab episcopo præcisè prohibetur: nam canones qui hoc concedunt, vix aliter sunt in usu; sicuti etiam diaconus poterit subtrahere habitum Sor. *dist. 13. q. 1. ar. 3.*

A. VICTORELLI  
AD CAPUT VIII. NOTÆ.

**V**niuersalis consuetudo vi præcepti unita, requirit, ut in templis ante Eucharistiam semper lumen ardeat: Monet autem lumen, adesse ibi candorem lucis æternæ, Christum Dominum, & ad pietatem venerationemque tam eximij Sacramenti nos assidue sollicitat. Extat præceptum de lumine, quando diuinum hoc Sacramentum defertur *ca. sane, de celebrat. Miss. Nau. ca. 18.*

Si quid contra voluntatem deglutisti, si cibum ante

ante mediam noctem sumptus concoctus non est, si non dormisti, potes nihilominus Eucharistiam sumere. Vide Sua. t. 3. D. 68. sect. 4. Sa V. Eucharist. n. 27. 28.

De veritate corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, de eadem Eucharistia asseruanda. Ioan. Gropperus.

DE COMMVNIONE SANORVM.

**Q**uovis die, & quavis diei nota, homini sano, qui nihil à media nocte, ne per modum quidem medicinæ, sumpsit, Eucharistia administrari potest, [ amoto scandalo ] etiam die Christi passionis sacro; quando Sacerdotes consecrare nequeunt. Vide Sa V. Eucharistia n. 19. Silu. Eucharistia. 3. q. Suarez to. 3. D. 69. sect. 4.

Amenti, qui dum rationis usum habebat, piam erga augustissimum Sacramentum ostendit mentem, & putatur esse in statu gratiæ, potest Parochus in articulo mortis, imò tenetur (si irreverentiæ periculum absit) Eucharistiam ministrare. Suarez tomo 3. D. 69. sect. 2. ex sancto Thom. usuque Ecclesiæ V. c. is qui 26. qu. 6. De demoniacis idem, quod de amentibus asserit S. Thom. 3. q. 80. art. 9. ad 2. Suarez de eadem rel. c. in fine.

Perpetuò amentibus, infantibusque antequam rationis non datur Eucharistia: hoc tamen divino iure non est veritum. Infantibus aliquando exhibita fuit. V. Suarez l. c. Et cõ. art. 9. q. 80. 3. p. S. Tho. Greg. de Val. t. 4. D. 6. q. 8. p. 2. Vid. q. 84

Puerorum obligationem, pro sumenda Eucharistia, inter decimum & decimum quartum annum contineri, putat Suarez, D. 70. sect. 1. Azor l. 7. c. 41. Eos obligari, credit decem, vel undecim

annos natos: si diuinum panem à terrenis cibis  
secernant, & hoc velit loci consuetudo. Vide, si  
libet, nostras Notas ad *cap. 11. libr. 6. Instruct. Sa-*  
*cerdotum Toleti Cardinalis, ad Sa Eucharistia,*  
*nu. 12. & Val. l. c.*

12. Sacerdos non ieiunus bis eodem die Eu-  
charistiam suscipere potest, id est, vt sacrificium  
perficiat, 2. vt consumptione Hostiæ, grauem  
illius irreuerentiam effugiat. *Suarez to. 3. D. 63.*  
*sect. 6.*

De semel in anno, sæpius, & quotidie commu-  
nicando; & de meritoria ab vsu Diuini Panis to-  
tum Christum complectentis, abstinentia. *Adri-*  
*anus Adriani Societate Iesu. De Eucharistia,*  
interiori deuotæ mentis occupatione *Petra-*  
*Cotonus.*

#### DE COMMVNIONE INFIRMORVM.

20 **N**on ieiunum, &c.) Non semper agro-  
tus, non ieiunus hoc Sacramentum per-  
cipere potest; sed tunc cum creditur  
morigerurus, ante initium sequentis diei; vel in  
phrenesim casurus, in qua sine irreuerentiæ pe-  
riculo, diuino epulo recreari non poterit, vel  
non nisi post multos dies extremum, diem obi-  
turus putetur) cum eo morbo, vel ea imbecilli-  
tate vexatur; vt sæpe cibo reficiendus sit: & me-  
lioris valetudinis spes non effulgeat. Vno verbo  
dicam. Quotiescunque Diuinum Viaticum sine  
gravi damno, aut periculo, ieiunus sumere non  
potest. Medicus, si aduertit, damni, aut periculi  
iudex erit. *Ex Suarez to. 3. D. 68. sect. 5.*

Dices, Comedit infirmus ante mediam noctem  
post mediam noctem duas horas inedia tolera-  
re po-

re potest; est ne intemptivo eo tempore, administranda ei, tunc ieiuno Eucharistia? administrari potest; sed non necesse: neque erit crimen, illucescente die, ægrotum non ieiunum cælesti Viatico confirmare, ac munire Ecclesiæ consuetudo, quæ leges optime explicat, hoc docet. Noctu moralis difficultas adesse facile: & forte illa reuerentia desideraretur, quæ augustissimo Sacramento debetur. Assentitur *Suarez* loco citato.

Homini præcepto Iudicis occidendo non ieiuno non neganda Eucharistia; si differri mors nequeat: in vtriusque enim naturalis, & violentæ mortis articulo. Diuino hoc remedio indiget animus ex eodem *l. cit.*

Quoties in eodem morbo Angelorum panem, post violatum ieiunium, accipere licet? Bis, ait *Fumus V. communio num. 18.* Si decem, aut octo dies idem mortis articulus perseueret, ægrotum bis Dominicum Christi corpus sumere posse ait *Suarez l. c. & rectè.* At si longior sit ægrotudo, & sæpius abeat, redeatque articulus, aut periculum, toties parrocho licebit Diuinum Viaticum ægrotò præbere, quoties is in illud, quod euaserat, mortis discrimen inciderit. Hoc quoque placuit *Suarez*: noua enim tunc noui articuli seu periculi mortis molestia afflictaur ægrotus: & noua cælesti ope adiuuandus videtur. Non repugnat *Sa V. Eucharistia numer. 5.*

Quidam tamen, semel tantum in eodem morbo Diuinum Viaticum, post sumptum cibum, præberi posse existimant: sed eos intellige, si ægrotus, illo sumpto, breui moriturus sit.

Cur licet, in mortis articulo, sumpto cibo, Eucharistiam sumere? Vel quia diuino præcepto cogimur, in articulo mortis diuinas hascecupulas percipere, vel quia pia mater Ecclesia, que illius vsu non ieiunos prohibuit, salutis in suprema lucta periculo considerato, tam præclaris armis (etiam cum corporis imbecillitas ieiunos nos esse non patitur) priuatos nos esse, noluit.

Iure diuino sumendam, si fieri possit in articulo mortis, Eucharistiam, pia sententia est. Hanc docuere Dur. 3. dist. qu. art. 2. Gab. qu. 1. Sor. 4. d. 12. qu. 6. art. 1. Petr. de Sor. lect. 9. de Euchar. Greg. de Val. l. c. Suarez to. 3. d. 69. sect. 3. & alij: Caiet. tamen. Victoria, & quidam alij semel tantum in vita, hoc diuini iuris præceptum locum habere scripserunt de hac re Comi. t. l. 1. Resp. mo. qu. 43.

Cum Suarez probabile existimo, toties homini, diuino iure Eucharistiam sumendam esse, quoties in articulo mortis versatur. In quo qui Viaticum negligeret, salutem suam spernere, & suspectus de fide videretur. Vide Suarez loco citato.

Qui paulo ante mortis articulum (vt pote octo dies) nihil de morte cogitans Eucharistiam percipit non tenetur eam iterum percipere: enim ad mortem paratus, ea diuini cibi sumptione: quod diuinum de illa sumenda præceptum intuetur. Sor. addit, dummodo post esum diuini corporis mortalem culpam non admiserit: quod Suarez non probatur, sed alicui forsitan probabitur.

Patud. Vic. & Sor. à Gregor. de Val. non improbat, lethalem culpam eum putant admittente, qui biduo ante imminentem mortem Eucharistiam



charist. refectus moriens illam non sumit.

Mala valetudine, longo tempore, impeditus sapius ex deuotione (ieiunus tamen) Diuini Conuiuij epulas degustare potest; ita etiam Fumus. *l. cit. Vide Sà Eucharistia num. 5.*

Hoc nostræ peregrinationis Viaticum, quod nobis in mortalis vitæ solitudine ad cœlestem Hierusalem properantibus mirificum robur addit imminente morte, sumendum, docent Concilia, suadent præclara Sanctorum hominum exempla. *Concil. Nicænum 1. can. 12.* De his, qui recedunt ex corpore antiquæ legis regula obseruabitur etiam nunc; ita ut si forte quis recedat ex corpore, ultimo, & necessario vitæ suæ viatico non defraudetur. *Concil. Triad. sess. 13. ca. 6.* mortem deferendæ ad infirmos Eucharistiæ salutarem, & necessarium vocat; & retinendum statuit. *Vide etiã Concil. Arelat. secundum can. 12. Aurel. 3. can. 24.*

Sanctum Ioannem Chrysostrumum è vita hac migraturum SS. Petrus & Ioannes cœlesti pane recrearunt. *Nicepho. l. 13. c. 37.* Lucianus Martyr moriturus in carcere eadem esca animum suum muniuit, *l. 6. c. 31.* S. Romula morti proxima idẽ animorũ pabulum petijt, & accepit: *S. Gregor. 4. Dialog. c. 15. & Ho. 40. in Euangel.*) Idem factum à Theodosio Mauritij filio obtruncando, *Cedr. in Compend. Histor. à D. Remberto Bremensi Episcopo Surius to. 1. 4. Feb. à S. Guilielmo Biturcensi Archiepiscopo, idem, tomo primo, decimo. Ian. restati sunt. Serapion senex missam sibi per puerũ à Sacerdote Eucharistiã, cum suprema illi adesset hora, suscepit. Euseb. Cæsar. lib. 6. ca. 36. Hist. Eccles.*

S. Ambrosij animus corporis obitu imminente, diuinis hisce epulis recreatus, ad beatarum mentium sedes euolauit: ex Paulino in vita sancti Ambrosij.

Sanctus Benedictus exitum suum, vtar verbis D. Gregorij) Dominici Corporis, & Sanguinis perceptione muniuit, atque inter discipulorum manus imbecilla membra sustentans, erectus in cœlum manib. stetit, & vltimum spiritum, inter verba orationis, efflauit. Diuino hoc pane refecta S. Brigitta abiit in cœlum. Ex Bonifacio IX. in Bulla Canonizationis.

#### APPENDIX I.

**E**stne, ante Viaticum Extrema Vnctio ministranda?

Recepta est in Ecclesia consuetudo, vni pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, ante extremam vntionem ministrantur: quare, sine causa, præpostero ordine vrendum non est: nonnulli tamen iniuncti sacro oleo Eucharistiam susceperunt; inter alios Otto Episcopus Bambergensis S. Guilielmus Archiepiscopus Bituricensis, quorum aliorumque exempla in nostro de extrema vntione libro, videre est, pag. 54.

Ex pœnitentiâ Theodori Cantuariensis Archiepiscopi hanc ante viaticum collatam fuisse colligimus. In Gratiani Decreto extant verba c. ab infirmis, 26. qu. 7. [Orationibus, & consolationibus Ecclesiasticis sacra Vnctio inuncta secundum statuta Sanctorum Patrum communionem Viatici reficiantur.]

Est ne lethale scelus Vnctionem Viatico præmittere

mittere; Non est, si de sit contemptus: non extat præceptum de hac re; ordo rei grauis non censetur; neque horum sacramentorum vnum ad alterum natura sua aditum munit; cum vtrumque gratiæ statum requirat. Non abhorret *Suar. to. 4. D. 44. sec. 1.*

Iusta de causa, Viaticum prætermittitur, (vt cum haberi, aut sine grauis alicuius irreuerentiæ periculo suscipi non potest) & Extrema Vnctio exhibetur. *V. Alcuinum de Diu. Offic. c. 40.*

Si ægroti confessione excepta, eum, antequam domum Eucharistiam delaturus, redeas, moriturum existimes; potes, & debes, sacro oleo, tecum allato, supremam mortis luctam ineuntem linere: & si superstes, mortis adhuc discrimen subeat, Diuino Viatico pascere, & confirmare. Non dissentiet *Suarez loc. cit. Paucis. Cū Viaticum ante Vnctionem conferri non potest; tunc post eam rectè datur & sumitur; si nulla lethalis noxa dantis, & sumentis animum afficiat. 23. In mortis articulo, Diaconus, Sacerdote absente, Viaticum præbere potest. Quod si ille Sacerdoti periculose ægrotanti id deferat, sacerdos sibi illud ipsum, sua manu, ministrabit *Dur. 4. d. 13. quest. 4. Suarez D. 73. to. 3. Sa, Eucharistia, n. 4. & alij, quos ad eum locum retuli, v. etiam Comitolum li. 1. q. 44. Resp. mor.**

Eucharistia ad ægrotum, qui eam suscipere nequit, deferenda non est, vt ab eo adoretur. *Ex Cong. Conc. Sa Eucharist. 6. & ex Pio V. Rodriquez p. 1. c. 64. n. 3. vbi refert Cōgregationis respon. 27. Sacerdotem non ieiunum, posse sacrum facere, vt pro ægrotto in extremis laborante cō-*

secret nonnullis visum est. Maior. 4. disput. 49. quest. 3. ad 5. communiter reiectus. Sacerdotem, extra sacrificium, pro huiusmodi ægroto consecrare posse, etiam fermentatum panem, etiam sine sacris vestibus, falso existimavit. Cōmunis sententia docet? hanc causam non sufficere; ut Sacerdos, sumpto cibo, Sacrum faciat. Vide Palud. 4. d. D. 2. 2. Vl. num. 83. Alios citat Suarez & idē sensit, to. 3. D. 68. sectio. 5. primam verò sententiam improbabilem non censerem.

30. Impeditur communicare, &c.] Ad spirituales Sacrosanctæ Eucharistiæ vsum, & ad Extremam vñtionem petendam, auroque animo accipiendam excitandus ægrotus; qui eam nequit suscipere.

31. Vide ca. qui recedunt, ca. is qui, 26. D. Th. 3. p. 9. 80. art. 9. Suarez to. 3. D. 69. sect. 2.

34. Parochū debere peste affectis Diuinū Viaticum præbere, certū est: si hoc nequeat facere, sine periculo vitæ, Rodriquez (p. 1. cap. 77.) hac obligatione eū liberat, cū Tabiena: at contraria sententia, probata Suarez, to. 4. D. 44. sect. 3. n. 17. probabilior, & tutior. Nec placet, quod idē Rodriquez, cum Syl. scribit; Parochum, scilicet, per negligentiam, Viaticum, in mortis articulo non præbentem, à lethali culpa alienum esse.

43. Scotiæ Regina fide, pietate, alijsque Christianis virtutibus insignis, cum in Anglia iniusta mortis supplicium subitura esset; Diuinum Viaticum clam allatum, summa veneratione sibi ministravit v. Suar. to. 2. d. 72. sect. 3.

Diaconus olim sanguinem ministrabat; nunc in necessitate corpus: quod olim quoq; ei licuit.

(Præ

[Præsente Presbytero] (ait Concil. Carthag. c. 38.) [Diaconus Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus erogat] v. Const. Clem. Rom. l. 8. c. 28. 32. & alios Cā. si nullus Sacerdos adest, & ægrotus sine Viatico moriturus putaretur, posset Diaconus nō iussus ministrare. Si præsens Sacerdos nolit (per scelus) morienti cœleste hoc pabulum dare, nec Diacono permittere, vt det, Diaconum hoc facere posse, eo inuito, censeo. cum Suar. 10. 3. D. 69. sect. 2. Sotū secuto: quicquid dixerit Syluester.

Dum ne Diaconus quidem adest, à laico, in extrema morientis hominis necessitate, hoc sacramentum ministrari posse negat. Sā Vide Eucharistia. nu. 4. cum alijs: affirmat Suarez probabiliter, l. c. in fine. Id non vetat Diuinum Ius: pontificia iura de hac necessitate non loquuntur: & contrectari Eucharistiam à laico, non est per se, malum: nam olim fideles manibus eam excipiebant. Idem Val. to. 4. D. 6. q. 10. part. 1. Vide notata ad Aphorismos Eman. Sa V. Eucharistia num 32.

Plectendis capite Eucharistia pro viatico, datur, etiam non ieiunis, vt dixi: si supplicium differri non possit. Vnam horam ante supplicium dari eam posse, ait Sā V. Eucharistia num. 2. quatuor horas Roma dari scribit Nauarr. misc. 4. de ora.

Morem Hispanorum reis iugulandis Viaticum negantium Pius V. sustulit, V. Rodriqu. part. 1. cap. 68. & notata à me ad Sā. l. c. & ad Tolerum li. 2. c. 28. Vide etiam. si libet, c. quasitum 13. quest. 2. ca. super eo de her. in 6. Ægrotus, qui nequeat sumere Eucharistiam deferre, vt is eam adoret, nō licet, ex Congreg. Concil. Sā. Eucharistia num. 6.

## APPENDIX II.

**T**Vnc homo confessarij copia destitutus videtur, vt contritione donatus, Eucharistiam suscipere possit: cum non adest Sacerdos, qui illum absolueret: aut, si adsit, is poenitens non potest illi, sine graui damno, & periculo, sua crimina explicare. Damnum autem & periculum, viri prudentis iudicio, definietur. Hoc scriptum quoque à Suarez D. 68. sect. 4. t. 3.

Dies, intra quem non licet bis sumere Eucharistiam, à media in mediam noctem consideratur: vt dies ieiunij Ecclesiastici. Sic vsu Ecclesie receptum est. Si paulo ante mediam noctem comedisti, aut Eucharistiam sumpisti (qualibet diei hora, seiuncto scandalo sumi potest, vt diximus, Eucharistia) post eandem mediam noctem Dominici Corporis epulum tibi licet suscipere. Suarez D. 69. sect. 4. to. 3.

## APPENDIX III.

De Sacerdotis iurisdictione, pro administranda Eucharistia.

**Q**ui sine iurisdictione, vel facultate ab habente iurisdictionem concessa, Eucharistiam ministrat, mortifere peccat: alienum enim ius in re graui vsurpat Communis sententia. Non igitur quilibet Sacerdos, Eucharistiam ministrare potest.

Religiosi præsumentes ministrare Eucharistiam secularibus Clericis, aut laicis, sine Pastorum licentia (Pastores sunt Sūmus Pontifex, Episcopus, Parochus) Papali ex cōmunicatione afficiuntur. *Clemen. Religiosi, de priuil.* Nō loquimur autem

autem de Religiosis priuilegijs immunitis: vt facultatem à Pontifice Summo ad id sint affecti. *V. etiam Eman. Roder. cum t. 1. can. & reg. q. 56. art. 1.*

Ordinariam iurisdictionem habent Pontifex (Supremam) Episcopi, Parochi: delegatam, ij Sacerdotes: quibus à Pastoribus ordinarijs administrandorum Sacramentorum facultas facta est.

Simplex Sacerdos, concedente Parocho, huius Sacramenti minister esse potest. Episcopi approbationem, pro solo Pœnitentiæ Sacramento Tridentina Synodus postulat. (Suarez. to. 3. D. 72. sect. 2. *V. etiam Rodericum art. 7. lib. c.*) & ex Clement. 1. de priuileg. discimus, Parochos, concedere posse alijs Sacerdotibus; vt Sacramenta Eucharistiæ, & Extrema Vnctionis conferant, & matrimonia solemnizent. Vide, quid tibi tuus præcipiat Episcopus.

Cui concessum ab Episcopo, vt confessiones audiat, concessum etiam, vt Eucharistiam ministrare possit, nonnullis visum est: sed hanc sententiam nec veram, nec tutam existimant *Suar.* distinctis enim actibus ministrandi pœnitentiam, & Eucharistiam, distinctæ facultatis responder.,

CAPVT IX.  
DE EXTREMA VNCTIONE.

SUMMARIUM.

1. An Curatus peccet si utatur oleo veteri.
2. Quid agendum deficiente oleo.
3. An sub peccato danda sit extrema vnctio.

M. 7

4. Cui